

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sapientia uel scientia I
in editionibus 1493/5 & 1550 cum fonte primo

Huius mundi inquit sapientia est cor
machinationibus tegere. sensum uerbis uelare. quae
falsa sunt uera ostendere. quae uera
sunt falsa demonstrare

hanc qui sciunt caeteros superbiendo despiciunt. hanc
qui nesciunt subiecti et timidi in aliis ipsam mirantur.

haec sibi obsequentibus praecipit honorum culmina
quaerere. adepta temporalis gloriae uanitate gaudere.
irrogata ab aliis mala multiplicius reddere. Quum uires
suppetunt nullis resistentibus cedere. quum
uirtutibus possibilitas deest:
quicquid per malitiam explere non ualet. hoc in
pacifica bonitate simulare.

Gregorius X. moralium exponens illud Iob XII.:
Deridetur iusti simplicitas.

Manipulus florum, Sapientia uel scientia I (Venetiis,
1493/5), sig.G2r.

Huius mundi sapientia est, cor
machinationibus tegere, sensum uerbis uelare quae
falsa sunt uera ostendere, quae uera
sunt fallacia demonstrare.

Haec nimirum prudentia usu a iuuenibus scitur;
haec a pueris pretio discitur,
hanc qui sciunt ceteros despiciendo superbiunt; hanc
qui nesciunt subiecti et timidi in aliis mirantur,
quia ab eis haec eadem duplicitas iniquitatis, nomine
palliata, diligitur, dum mentis peruersitas urbanitas
uocatur.

Haec sibi obsequentibus praecipit honorum culmina
quaerere, adepta temporalis gloriae uanitate gaudere,
irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum uires
suppetunt nullis resistentibus cedere, cum
uirtutis possibilitas deest,
quicquid explere per malitiam non ualet, hoc in
pacifica bonitate simulare.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 10, 29 (CCSL 143,
M. Adriaen ed., pp.570-1, ll.1-14).

Huius mundi sapientia est, cor
machinationibus tegere, sensum uerbis uelare, quae
falsa sunt, uera ostendere, quae uera
sunt, falsa demonstrare,
haec nimirum prudentia usum a iuuenibus scitur,
haec a pueris pretio discitur,
hanc qui sciunt caeteros superbiunt despiciendo, hanc
qui nesciunt, subiecti et timidi in aliis mirantur,

haec sibi obsequentibus praecipit honorum culmina
quaerere, adepta temporalis gloriae uanitate gaudere,
irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, quum uires
suppetunt, nullis resistentibus cedere, quum
uirtutis possibilitas deest:
quicquid per malitiam explere non ualet, hoc in
pacifica bonitate simulare.

Flores omnium fere doctorum, Sapientia uel scientia I
(Venetiis, 1550) fol.462r-v.